

1252, novembre, 30

Maria, filla d'Arnau d'Abadenques, de Palol d'Onyar i el seu marit, Joan, venen a Berenguera de Palagret, infermera de Sant Daniel, un bosc i colatera que tenen per la infermeria del mateix monestir, pel preu de 30 sous.

*ASD núm. 162, perg. orig., 170 x 230 mm.*

Sit notum cunctis quod ego Maria, filia condam Arnalli de ipsis Abadengis, de parrochia Sancti Saturnini de Palaciolo et maritus meus Iohannes qui fuit de manso Segerio, in manu et potestate de uobis domina Berengaria de Palegreto infirmaria monasterii Sancti Danielis, per nos et nostros presentes atque futuros uendimus Deo et officio infirmarie predicti monasterii in perpetuum totum illum boschum et colateram quem et quam per dictam infirmariam tenemus in parrochia Sancti Saturnini de Palaciolo, sicut afrontat ab oriente in uinea Sancti Danielis, a meridie in uinea Petri Amalrici et in cacumine montis, ab accidente in uinea quam ibi habemus et in torrente de Surbi, a circio usque in torrentem inferiorem de Surbi. Sicut dictus boschus et colatera dictis .III.or affrontacionibus includuntur et terminantur et consignantur per terminos ibi fixos, cum exitibus et ingressibus et pertinentiis et tenedonibus et auellanariis et aliis arboribus diuersorum generum, et cum terra in qua et super quam dictus boschus et colatera sedent et cum omnibus melioramentis et augmentis que ibi facere poteritis et etiam cum omnibus in eis habentibus eisque modo aliquo pertinentibus, prout melius et utilius dici et intelligi potest ad uoluntatem et comodum dicti officii infirmarie, sic uobis et dicto officio infirmarie in perpetuum uendimus et tradimus pro triginta solidis barchinonensibus, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, de quibus confitemur et recognoscimus nos a uobis bene esse paccatos, renunciando excepctioni non numerate peccunie; et si amplius ualet hec uendicio iamdicto precio uel de cetero plus ualebit, totum gratis uobis et successoribus uestris et dicto officio infirmarie dam us donacione inter uiuos, renunciando expresse auxilio et beneficio illius legis per quam deceptis ultra dimidiam iusti precii subuenitur. Et ideo de nostro iure et potestate dictum boschum et collateram penitus extrahimus et eicimus et in uestrum dominium et successorum uestrorum transferimus, introducentes inde uos in corporalem et uacuam possessionem ad omnes uestras uoluntates et successorum uestrorum dicte infirmarie perpetuo faciendas, saluo iure predicte infirmarie in omnibus, et dabitis nobis et nostris uos et successores uestre infirmarie annuatim ad auxilium census faciendi nostri mansi .II. denarios monete curribiliis, sine alio retentu quem ibi uel inde non facimus, omnibus nostris uocibus et racionibus et omnium nostrorum in perpetuo extinctis et penes uos et successores uestrros infirmarias remanentibus et translatis. Et conuenimus uobis per nos et nostros dictam uendicionem semper facere habere et tenere in pace et esse inde defensores et legitimi auctores contra cunctam uiuentem personam, et de euictione et de omni interesse obligamus uobis et successoribus uestris infirmariis nos et heredes nostros et omnia nostra bona mobilia et immobilia habita et habenda. Et ego Maria iuro

per Deum et eius sancta .III.or Euangelia corporaliter tacta prephatam uenditione semper ratam et firmam habere et in perpetuum obseruare et numquam contrauenire iure aliquo siue causa, renuncians scienter super hiis Uelleyano senatusconsulto et illi legi que rerum dotalium prohibet fieri alienacionem, et si aliquo iure scripto uel non scripto siue excepcione uel occasione aliqua in futurum huic contractui obuiam ire possemus, illi iuri penitus renunciam us.

Actum est hoc pridie kalendas decembris anno Domini .MCCL. secundo.

Sig+num Marie predicte, sig+num Iohannis predicti, mariti eius, qui hoc firmamus.  
Sig+num Petri Comerii de Gerunda, sig+num Bemardi de Balneolis, testium huius rei.

Sig(s. man. )num Michaelis de Ulmo, qui hoc scripsit mandato Bemardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Bemardus de Uicco, publicus Gerunde notarius; subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 327-329